BENEDICTIO PANUM

Sub invocatione S. HUBERTI, *Epiſcopi & Confeſſoris, prout illâ utuntur Arduenſes in Arduenna, à R.mo Domino Michaële Ophovio, Epiſcopo Buſcoducenſi approbata in Geldrop 2 Octob.* 1636.

℣. Adjurorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Oſtende nobis, Domine, miſericordiam tuam.
℟. Et ſalutare tuum da nobis.
℣. Adjuva nos Deus ſalutaris noſter.
℟. Et propter gloriam Nominis tui, Domine, libera nos.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocêre nobis.
℣. Fiat miſericordia tua Domine, ſuper nos.
℟. Quemadmodum ſperavimus in te.
℣ Cibavit eos ex adipe frumenti.
℟. Et de petra melle ſaturavit eos.
℣. Manducaverunt, & ſaturati ſunt nimis.
℟. Deſiderium eorum attulit eis.
℣. Panem de cœlo præſtitiſti eis.
℟. Panem Angelorum manducavit homo.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMUS.

EXorcizo vos Panes omnes per Deum vivum ✠ per Deum verum ✠ per Deum ſanctum ✠ & benedico & ſanctifico per merita & virtutem Salvatoris Domini noſtri Jeſu-Chriſti, per merita S. Virginis & Matris Mariæ, & per merita Confeſſoris tui & Epiſcopi Huberti, & totiûs Curiæ cœleſtis, ut fiatis Panes exorcizati ✠ benedicti ✠ & ſanctificati ad effugandam omnem poteſtatem inimi-

ci, & ipſum inimicum cum omnibus adverſitatibus rebuſque noxiis explantare & elongare faciatis de cunctis creaturis Dei, quæ de his Panibus comederint vel ſumpſerint, per virtutem ejuſdem Domini noſtri Jeſu-Chriſti, qui cum Deo Patre vivit & regnat Deus, in ſæcula ſæculorum. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMUS.

EXaudi, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, in nomine ſanctæ Eccleſiæ, per merita Domini noſtri Jeſu-Chriſti, ejuſque Matris & Virginis Mariæ, S. Huberti, Confeſſoris & Pontificis tui & totiûs Curiæ cœleſtis, exorcizantes ✠ & deprecantes ſuper Panes hos omnes, & mitte manum tuam plenam largâ benedictione ſuper eos, & reple eos æternis benedictionibus, & eos benedicendo benedicas ✠ ſanctificando ✠ ſanctifices, conſecrando ✠ conſecres, ut virtutem tuam contrà ſpiritus percutientes, canes rabidos, peſtilentiæ luem, & contrà omnia noxia poſſint accipere, per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos & ſæculum per ignem. Amen.

OREMUS.

DOmine Jeſu-Chriſte, Panis Angelorum, Panis vivus vitæ æternæ, qui quotidiè de cœlo deſcendis ad ſalvandas & ſanctificandas animas noſtras, ſic nunc deſcendere digneris ſuper Panes hos omnes, benedic ✠ & ſanctifica ✠ hos, ſicut benedixiſti quinque Panes in deſerto: & libera per eos cunctas creaturas tuas tam homines quàm animantia ab omni maligni ſpiritûs incurſu, ab omnibus ægritudinibus, maleficiis & peſtilentiis, & adverſitatibus cunctis, & ſicut quidquid in Nomine ſancto tuo fideliter petimus, tu propitiùs impendis, ità per ipſum

ſanctum Nomen tuum totâ devotione adorandum, & prædicandum Panes hos omnes exorcizo ✠ benedico ✠ ſanctiſico ✠ & virtutem ſanctiſſimi Nominis tui ac Paſſionis tuæ illis infundo ad reſtituendam ægrotantibus ſanitatem, maleficiatis liberationem & incolumitatem, ad expellendum de tabernaculis & cunctis membris creaturarum quidquid peſtiferum aut malum eſſe poteſt per virtutem tuam, Salvator mundi, qui vivis & regnas Deus, in ſæcula ſæculorum. Amen.

OREMUS.

DOmine ſancte Pater, omnipotens æterne Deus, virtutis tuæ invictam fortitudinem, ac pietatis tuæ infinitam clementiam humiliter invocamus ſuper Panes hos omnes, ut eos exorcizare digneris, prout ego indignus famulus tuus in nomine ſanctæ Eccleſiæ tuæ, per merita Salvatoris noſtri Jeſu-Chriſti, & per merita ſanctiſſimæ Virginis & Matris Mariæ & beati Huberti, Confeſſoris tui atque Pontificis, totiûſque Curiæ cœleſtis, exorcizo ✠ benedico ✠ & ſanctiſico ✠ illiſque virtutem tuam Divinam infundo, ut quicumque ex eis comederint, ſumpſerint, vel ſuper ſe portaverint, accipiant integram mentis & corporis ſanitatem, tutelam ſalutis & protectionem ad defenſionem contrà rabiem, ipſoſque canes rabidos eorumque morſus & peſtilentiæ luem, & liberentur ab omnibus adverſitatibus, maleficiis, & ægritudinibus. Multiplica, Domine Deus, Benedictiones tuas ſuper Panes hos omnes, ſicut Stellas cœli, & arénam, quæ eſt in littore maris, ut ex vultu divinæ Majeſtatis tuæ, & ex meritis Sanctorum tuorum virtutem tuam contrà immundos ſpiritus & contrà rabiem caneſque rabidos, eorumque morſus poſſint accipere, ad expellendum de tabernaculis famulorum famularumque tuarum quidquid peſtiferum eſſe poteſt : per eumdem qui venturus eſt judicare vivos & mortuos & ſæculum. ℟. Amen.

OREMUS.

DEſcendat quæſumus, Domine ſancte Pater, omnipotens æterne Deus, per amorem unigeniti Filii tui, per merita ſanctiſſimæ Matris ejus, Virginis Mariæ & ſancti Confeſſoris tui atque Pontificis Huberti, virtus Spiritûs ſancti ſuper Panes hos omnes, ut eos benedicat ✠ exorcizet ✠ & ſanctificet ✠ ut quicumque ſivè homines, ſivè animantia ex eis comederint vel ſumpſerint, ab omnibus ægritudinibus, maleficiis, peſtilentiis, adverſis & noxiis, liberentur & protegantur.

Da, Domine Deus omnipotens, ut, quod in nomine Eccleſiæ tuæ per merita Filii, & Sanctorum tuorum rogamus & obſecramus, id obtineamus & impetremus, & in nomine dilecti Filii tui & Spiritûs ſancti, qui tecum vivunt & regnant in ſæcula ſæculorum. ℞. Amen.

Thurificentur & aſpergantur Panes aquâ benedictâ.

Copia Approbationis.

Approbat Reverendiſſimus Dominus Michaël Ophovius, Epiſcopus Buſcoducenſis, has Benedictiones, quodque iiſdem in Benedictione Panum S. HUBERTI, *uti poſſit. Datum in Geldrop 2 Octob. 1636 & infrà habebatur de Mandato Reverendiſſimi Domini præfati.*

D. L. ANCELOTTUS, *Secretarius.*

Vidit P. V. M.

N. B. BENEDICTIO hæc etiam impreſſa eſt in folio, ut adaptari poſſit Miſſali Romano, & proſtat BRUXELLIS apud Viduam H. F. T'SERSTEVENS, Bibliopolam.